



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XXII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XXII.

Καὶ ἐρῶ αὐτῷ, πᾶτερ, ἤμαρτον εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ ἐνώπιόν σου? 9. Καὶ οὐκέτι εἰμι ἄξιος κληθῆναι υἱὸς σου. ποιήσόν με ὡς ἓνα τῶν μισθίων σου. *Græca.*

8. *Et dicam ei. Pater peccavi in cœlum, & coram te. 9. Vulgata.*
Iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.

8. *Et dicam ei. Pater mi, peccavi in cœlum, & coram te: 9. Syriaca.*
neque sum dignus qui vocer filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.

ARGUMENTVM.

- Dicemus hodie* { 1. *Qua fuerit confessio Prodigi, & qua debeat esse nostra.*
 2. *Quod male faciant, qui in confessione, de omnibus à Sacerdote interrogari volunt.*

AVE MARIA.

I.

Qua fuerit confessio Prodigi, & qua debeat esse nostra.

Hic vsque, dilectissimi, Prodigi nostri tædium, attritionem, contritionem audiimus: audiamus & confitendū propositum. Nam post contritionem, aut saltem attritionem, sequi debet confessio: ita tamen vt non pro semetipso comes sit indiuidua, nisi quantum ad desiderium votum ac propositum eam faciendi tempore & loco, vel quando confitenti præceptum obligat, iuxta Concilium Tridentinum.

Concilium Trident. sess. 14. cap. 4.] *Contritio habet confessionem annexam in voto.*

Psal.

*Definitio cō-
tritionis.*

[Psal. 31.] *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam
meam Domino.*

Votum enim & cōfitendi propositum tantum va-
let, vt scholæ doceant contritionem (i. perfectum do-
lorem de peccato admisso, propter Deū summe dile-
ctum; cū proposito oportune confitendi, & abstinenti
in posterum) posse maximo totius mundi peccatori
(accedentibus Christi Domini nostri meritis) penā &
remissionem obtinere, & restituere in gratiā: adeo vt
si subito non confessus moreretur, (non habens scili-
cet confitendi potestātē) sine omnibus etiam alijs sa-
cramentis, de salute eius nihil foret dubitandum: imo
sic etiam ad diuinā mensam accedi posset, si desit Cō-
fessarij copia. Tali enim casu verum est dicere, Deum
sacramentis nō alligasse gratiam. Non prodest tamē
votum, & cōfitendi propositum, quo minus damna-
retur qui cū attritione moreretur solum (quę est con-
tritio imperfecta, dolor de peccato admisso sed motus
propter Deum summe dilectum, sed propter timorē
pœnarū, vel horrorē ipsius peccati, aut similem aliquā
causam.) Resolutio magis momenti: atque ideo verę
cōtritionis formulam ex authore quodā incerto, nō
tamen indocto, in gratiam vestram huc transtuli. *Dr-*

*Definitio
attritionis*

*Formula
confessionis.*

Actus fidei.

*Actus cha-
ritatis.*

*Actus con-
tritionis.*

Actus spei.

*Vide F. Lu-
dou. Vival-
dum de mō-
te regali, lib.
de verit. cō-
tritionis c. 2.*

*mine mi Iesu Christe, Deus vere & homo, creator & redi-
ptor meus, quia tu es qui es, & quia te amo pro omnibus,
pœnitet me ex toto corde quod unquā te offenderim, ac pro
pono firmiter nunquā peccare in posterū, fugere omnes pec-
cati occasiones, confiteri, pœnitentiā facere in uictam, re-
stituere, satisfacere, si quid cuiquam debeo, & per tua amari-
tatem, si quid cuiquam debeo, & offero tibi in satisfactionem
peccatorum meorum afflictiones meas, & omnem vici-
tiam. Et sicut humillimē tibi supplico, sic etiam de bonitate
& misericordia tua infinita cōfido, quod peccata mea mihi
ignoscas per merita pretiosissima passionis & mortis tue,
quodq; gratiam mihi daturus sis, vt me emendam, & in fi-
dem usq; perseuerem. Amen.*

Et sicut humillimē tibi supplico, sic etiam de bonitate

& misericordia tua infinita cōfido, quod peccata mea mihi

ignoscas per merita pretiosissima passionis & mortis tue,

quodq; gratiam mihi daturus sis, vt me emendam, & in fi-

dem usq; perseuerem. Amen.

Vtinam singulis momentis essemus tales: sed diffi-

cillimum est habere eam semper veram & completā,

quinque partibus quas in ea Doctores requirunt, lu-

mulque

nusque in hac mortali vita admodum de ea incerti.
 Celso equidem præcipua eius comes desiderium est,
 totum & firmum tempore suo cõfiteadi propositum.
 Ecce monstrauit nobis viam Prodigus, dicens, *dicam*
ei, pater peccauit in celum & coram te; dicam ei, & confi-
tebor peccata mea.

Fatendum tamen Prodigum historice de sacramen-
 tali, Euangelica & Catholica confessione non loqui,
 de qua hic agimus: sed de ea quæ virtus quædam est,
 qua quis in corde non solum seipsum accusat, sed ex-
 terius etiam verbis coram Deo, & proximo: virtus in-
 quam quæ ad veniam valet plurimum. *Peccati vel sola*
confessio hominibus saepe saluti fuit, inquit S. Nazianze-
 nus. *Dic prior peccata tua, vt iustificeris*, dicit Scriptura. *D. Nazianz.*
 Sic confessus Publicanus descendit iustificatus præ *epist. ad Vi-*
 Pharisæo in domum. *talianum.*

Prou. 24.] *Qui abscondit scelera sua, nõ dirigitur in terra.*
Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericor-
diam consequetur.

1. Ioan. 1.] *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, &*
iustus (Dominus) vt remittat nobis peccata nostra, & e-
mundet nos ab omni iniquitate.

Proverb. 18.] *Iustus prior est accusator sui.*

Fatendum hoc omnino, & fatemur libenter. Pri-
 mo enim, quomodo loqueretur de ea quæ tum non-
 dum erat instituta, ac proinde non necessaria? Secun-
 do. Quia filius non erat sacerdotis, vt S. Iohannes Ba-
 ptista: si enim fuisset talis, nõ tacuisset Euāgelista. Di-
 cit enim de naturali patre, *Surgam & ibo ad patrem, &*
dicam ei, pater peccauit, &c. Ad faciendam autem Catho-
 licè confessionem ad eundem est proprius sacerdos, non
 quilibet alius, vt nugantur nonnulli. Non diaconus,
 multo minus laicus, quamuis Calvinus locum istum
 Iacobi illuc trahere nitatur, *confitemini alterutrum Iacob. 5.*
peccata vestra: nisi forte accipiamus confessionem pro-
 testatione quadam mutua indignitatis vel dete-
 ctione impedimentorum, tentationum, inclinatio-
 num, &c. ad aliorum quærenda consilia.

Tertio. Etiam si pater fuisset presbyter, non fuisset
 tamen

tamen sacerdos nouæ legis, qui in cœna vltima fuerunt instituti, & soli remittunt peccata sacramentaliter.

*Vide Conc.
Trid. sess. 14.
cap. 7. &
can. 6.
Calu. lib. 3.
Instit. ca. 4.
nu. 18.*

Quarto. Quia in confessione Christiana specificanda sunt peccata, exprimendæ circumstantiæ, saltem quæ speciem mutât, aut multum aggrauant: numerus etiam, quoties, & quoties, etiam iuxta ipsummet Caluinum. Noster autem Prodigus historicè in genere tantum dicit, *peccaui in cœlum*: non quomodo, aut quoties. Confessio igitur quam proposuit, & postea perfecit, non sacramentalis, sed moralis tantum erat, aut politica, ad pacem & reconciliationem: qualem faceret rediturus in gratiam qui alium offendit, frater fratri, vxor marito, subditus superiori, &c. ad restaurandam labefactatam non nihil amicitiam: quales etiam offensæ inter amantes accidunt, *amantium ira amoris redintegratio*.

*Terent. in
Andr.*

Publicani vero pro quibus hic Christus loquebatur, dici possent, loqui de alia confessionis specie, quæ non parum referat sacramentalem. Primum quia proponunt eam facere & faciunt sacerdoti proprio, & summo sacerdoti legis Euangelicæ, summo Pontifici, nimirum Christo. De eo enim intelligunt quando dicunt, *ibo ad patrem meum, & dicam ei, peccaui*.

Secundo. Quia hoc faciunt spe absolutionis à peccatis, & salutis animæ; sicuti eam accipiebant plenissime, non solum ciuili aut morali aliqua reconciliatione ad bonum temporale. Nihilominus tamen per omnia sacramentalis dici non potest: quia nimis generalis est, sine vlla distinctione generum & specierum, sine expressione numeri, durationis, grauitatis, (ut milites faciunt festinantes ad prælium:) potest tamen aliquid sacramentale dici, ad sacramentum aliquod pertinens, nimirum ad Baptismum quem accipiunt adulti: quia tales generalem aliquam vitæ suæ confessionem faciunt, ante Baptismum, non minus Christi quam S. Iohannis.

Certè de S. Iohannis baptismo traditur formula, quod audientes clamorem poenitentia, minas, vitæ auste-

austeritatem, confitentes baptizati sunt.

Matth. 3.] *Exibat ad eum Ierosolyma & omnis Iudea, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.*

Marc. 1.] *Egredebatur ad eum omnis Iudea regio, & Ierosolymita & uniuersi, & baptizabantur ab illo, confitentes peccata sua: quæ uerba confitentes sc. peccata sua, Erasmus Vatablus etiam Castalion ipse & Munsterus, & alius quidam suspectus, utrobique habent nobiscum, miro consensu.*

Confitentes peccata sua, vel ipso facto; recipiendo tunc Baptismum S. Iohannis, qui dicitur Baptismus poenitentiae: nam illum recipere erat se peccatorem profiteri, poenitere, & uelle emendare, iuxta Doctorem Hessels (Confitentes, inquit, peccata sua) grauitè se in Deum peccasse uitæ correctionem, & de commissis poenitentiam profitentes. Matth. 3.
Act. 19.
Ioan. Hessel.
in 3. c. Matth.

Sebast. Munsterus annorat. ad illud, confitentes peccata sua. *Nullus baptizabatur à Ioanne nisi qui se peccatorem agnoscebat, & fatebatur se opus habere redemptione Christi. Venerat enim Ioannes predicare poenitentiam, & indicare Christum, per cuius fidem homin: remittuntur peccata: aut etiam uerbis expressis, enuntiantes peccata sua omnia, aut saltem quot poterat (cuius opinionis uidetur fuisse Hugo Cardinalis; qui ad uerba ista confitentes peccata sua, adiicit, tam mortalia, quam uenialia, vel confitentes in genere peccatores se esse, & indigere gratia Dei.* Hugo Card.
in c. 3. Matth.

Quantum ad Baptismum Christi, etiam illi antiquitus præmissa est aliqua confessio: ut patet ex Actis Apostolorum, ubi dicitur: *multi credentium (Ephes. sc.) ueniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.* Act. 19.

D. Gregor. Nazian. orat. 40. in sanctum Baptisma.] *Ne peccatum tuum confiteri graueris, sciens quo pacto Ioannes baptizauerit: ut per huius uitæ pudorem, futuri saeculi pudorem ignominiamque fugias, (nam hoc quoque sempiterni illius supplicij pars est) ac perspicuum facias, te serio atque ex animo peccatum odisse, dum illud tanquam contumelia dignum traducis, ac uelut ludibrio exponis, de eoque triumphil*

agis: vbi in margine additum est *confitebamur baptizati*. Potest etiam confessio publicanorum dici aliquod sacramentale; quia sacramentali confessioni aliquo modo similis est. Sacramentum tamen dici non potest, quia nullum sacramentum præcedere potest baptismum, sacramentorum ianuam. Pro conclusione igitur, qualiscunq; fuerit, & quomodocunq; appelletur illa confessio, vtilissima tamen publicanis & Prodigio, optimeque docet qualis nostra sacramentalis esse debeat. Reperamus eam paulo altius, & videbimus. *Dicam ei*, inquit, *i. non tatum non negabo male me vixisse, nec tacebo mutus, nihil negans, nihil confitens, si quid pater mihi proponat; non finam me accusari, multo minus probationibus, cõuinci nec expectabo donec interroget & examiner; sed sine quæstionibus, sine tortura absque aliorum conuictione, & examine, ipsè quid fecerim dicam, accusabo me primus & libens.*

Psalm. 31.

Tres confessionis Christianæ conditiones.

Dicam ei, dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam. In qua bella nouaque expositione notate tres confessionis Christianæ conditiones: libertatem, præmeditationem, integritatem, libertatem: oportet enim vt alacriter candidoque animo confiteamur, vt libentes, non vt facinorosi in iudiciis, & suspensiosi; qui nihil farentur nisi extortum fidiculis. Purantes infœlicem linguam quæ perdit herum: nam vt ait Iuris periti, *Confessus in iure, id est in loco, ubi ius redditur, pro iudicato est: quia quodammodo sua sententia damnatur.*

Paulus in l. 1. de confess.

Vt confiteamur non seruili excommunicationis, aut alterius pœnæ timore, ne videamur scilicet Hugonothæ, aut parum Catholici, frigidi, ineurij salutis, aut compulsi ab Ecclesia, aut superioribus: sed simplicitet ex amore Dei, desiderio cum ipso redeundi in gratiam, & detestatione peccati. Non vt quidam qui nunquam confiterentur, si nunquam veniret Pascha, aut si nunquam mandaret Ecclesia; homines qui magis timent Pascha propter confessionem, quam amant propter redemptionem.

Non placet Deo extortum seruitium (*tardè dare & dicere*)

dicere) *nolentis est*, inquit Seneca: (in bonis) multum celeritas fecit, multum abstulit mora.

Præmeditatio etiam, id est, examen sufficiens præteritæ vitæ, iuxta qualitatem pœnitentiæ, & bonam ipsius voluntatem; qua optat saltem sufficienter à Cōfessario interrogari, ipsique respondere: hæc enim bona voluntas magnam partem diligentie requisitæ ad examen compensat. Dicendum igitur & faciendum cum Rege Ezechia: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Illuc omnē applicabo solertiam, ut indagem ac perlustrem omnia peccata mea, in conscientia quæ est pro mille restibus, omnia memoriæ versabo folia, antiquas chartas, scrinia, & archiva animæ, omnes conscientie meæ angulos, & illa colligam in fasciculum, omnes notulas, omnia peccatorum meorum documenta, tanquã in re summi momenti. *Est enim*, inquit quidam Doctor, *quandam rationum supputatio, quæ accuratius à nobis exercenda est, quam à mercatoribus suarum negotiationum ratio solet.*

Vide Nauar. c. 9. num 13. Manual. Isaiã 38.

Isid. Clarius tom. 1. orat. 14.

Et reuera tanti momenti est præmittere confessioni bonum examen conscientie, ut si peccator propter indebitum examen peccatū aliquod oblitus sit, nulla fiat confessio, ac iteranda non minus quam si aliquid dictum celasset. Certe Prodigus docet nos examen facere antequam adeamus sacerdotem, per illud *dicam ei*. Verba enim ista sonant quod velit præparare ista, quæ in aditu patris dicturus est. Quid? non dares computum decem millium talentorum, sub pœna alicuius membri si male subduxisses rationes, & præsumes reddere computum vitæ sub pœna animæ æterna? si tuo delicto aliquid omiseris verbum aut factum, non bene primū recollectus? Non loqueris imparatus Regi de rebus familiaribus, ne forte aliquid memoriæ excidat, & tu ad vice-Deū de salute animæ locuturus, auspicaberis sermonem nō præmeditatū? Antonij, Cicerones, Pericles, Demosthenes, pulpita non ascenderunt nisi parati, & (Deus bone) qui homines, quæ ingenia? *Alio tempore vult Antonius cogitare*

Cic. de Anto. li. 2. de orat. Plut. de Pericle & Demosth. tom. 1. moral. vt pueri nutriendi. quid dicat, alio dicere, inquit Cicero. Pericles ad dicendam ex tempore euocatus sententiam, respondit necdum meditatatus sum. Demosthenes necdum paratus sum: & tu ires homuncio modici ingenij, curæ memoriæ, de salutis tuæ concionaturus negotiis, primo dicturus quæ primo occurrerint, vt nouus Gorgias, quicquid venerit in buccam? neutiquam, dilectissimi, ad talem locum præmeditatò tantum & præparatò accedendum est. Faciamus saltem vt apicula, si tantum amemus puritatem animæ nostræ, quantum ipse munditiem aluearium: dicuntur illæ omnes sordes in vnum colligere locum, ac inde eicere foras. Sic & nos omnia peccata colligamus in memoriæ angulum, & per confessionem euerramus in focum, aut sterquilinum: memoria sit nobis pro Notario, signasti quasi in sacculo delicta mea. Illa sit nobis nomenclator, seruet cathalogum peccatorum, inde recitentur bono ordine, & nominatim: *longa belli præparatio, celerem facit victoriam*, inquit Seneca. *Diu apparandum est bellum, vt vincas celerius*, ait Publius. Sic bene præexamines conscientiam ante confessionem, facit eam perfectam, validam, viuendam: iuuat contra peccata, præterita & ventura.

Iob 14.

Integritas etiam in confessione Deus bone quam necessaria? vt nihil omittatur, nec peccati species, nec locus, nec modus, nec occasio, nec circumstantiæ aliæ necessaria. Prodigus hoc se voluisse facere demonstrat per *dicam ei*. Hoc enim est hominis cogitantis quid dicturus, quid taciturus sit; quam longè, quam latè, vt nihil desit. Ac nos confiteri debemus ad istum modum. *Effunde* (inquit Ieremias) *sicut aquam cotinum, ante conspectum Domini Deitui*. Qua effusione Albertus magnus integritatem, de qua loquimur, significari putat. Nō enim quasi guttatim, & per partes, vel fragmentis quod fecimus, quod commisimus dicere debemus; sed quicquid recogitare possumus simul, vni sacerdoti, vt omnis quasi extra amphoram fundatur aqua, ne quicquam intus coloris, candoris, aut nigtoris maneat; lactis aut atramenti effusi: (qui color

Thren. 2. Alb. Mag. in parad. anime cap. 40. edit. Plant.

color maneret, si quis occasiones peccandi, & irritamenta ac prouocationes, velut in gula aut fornicatione taceret) ne quicquam pinguedinis intus maneat, aut sedimenti; vt cum oleum aut sanguinem ex vase diffundimus: quæ manent intus, cum quis peccatum quidem dicit, quantitatem tacet, durationem & delectationem: (sunt enim peccata quorum voluptas rationem plane absorbet & aufert:) nec odor vllus remaneat, vt cum vinum effunditur aut acetum (quod accidit si peccatum confitens, taceat quis infamiam & scandalum oblatum aliis.) Qui igitur bene integreque confiteri voler, dicat omnia, *antecedentia*, 3. Reg. 14. & *subsequentia*: *percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel: & mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet finus vsq; ad purum.*

Homo rectus dicet quicquid peccauit in verbis: *nam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: dicet & malas cogitationes, quoniam illæ in extremo iudicio examinabuntur: in cogitationibus impij interrogatio erit.* Demonstrabit cor, nudabit vsque ad fundum, quasi fenestellâ Momi haberet in pectore, vt cum venerit Dominus visitatum corda, oculatior Argo, cum lucidioribus quam Diogenes laternis, media luce quærens hominem: *Ego Deus scrutans corda & renes: scrutabor Ierusalem in lucernis: nihil inueniat quod offendat.* Homo bonus, cor magis quam vultum confessario & Iudici spiritali aperit, vt dicere possit. *Ego te intus & in cute noui.* Atque ipse cum Davide Deo respondere, *Domine probasti me & cognouisti me*, sedens in sacro confessionis tribunali. *Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam: negligentiam, diligentiam, & affectus meos: Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam & funiculum meum inuestigasti: & omnes vias meas prauidisti, quia nō est sermo in lingua mea: vt nō possim quicquam gloriari aut excusare.* Ecce Domine tu cognouisti omnia, iam generalibus iam particularibus cōfessionibus, *nouissima, infantis, & antiqua senectutis: tu for-*

masti me & posuisti super me manum tuam: absolvens me & benedicens mihi: mirabilis facta est scientia tua ex me: quia tibi semper integerrime, & libentissime meas feci confessiones. Sic agunt homines de salute solliciti. Quidni? nam si infirmus medico celes morbi partem, aut causas principales, sanaberis nunquam, etiam si ipsa sanitas te sanum velit: sic in confessione vnum voluntarie subiciens peccatum, remissionem non consequeris. Imaginamini hominem plane concisum, sed obuolutis operisque omnino vulneribus, qualis olim descendens ex Ierusalem in Iericho, (percutsum sagittis vt S. Sebastianus, hispidum aculeatum torum.) Quid proderit ipsi monstrare decem aut duodecim, si tegat vnum: reliqua curare quid iuuat si vnum negligat. Vnus enim ictus, sufficit necando hominem.

Luc. 10.

D. Gregor. Nif. Epis. Mytile.] Sicut in corporali medela vnum est quidem institutum medicina, sanare eum qui laborat, variū autem est curationis genus, & pro morborum varietate, disciplina & medicina adplicatur: ita multa sit in morbo quoque anima affectionū varietas, multiformis quoque necessario fuerit medica curatio ad affectionis rationem medicinam exercens.

Quid iuuat si praesidiarij duas, tresue murorū ruinas oppleant, si vnum hosti relinquunt aditum. Sic nihil iuuat tria dicere peccata mortalia, si quartum taceatur: solum enim voluntariē suppressum, satis est ad introducendum integrum agmen, & impediendum sacramenti effectum. Modicum fermenti totam massam corrumpit: modicum celati argenti Ananiam perdidit, & vxorem.

Galat. 5.

Iacob. 2.] Quicumque totam legem seruauerit, offendat, autem in vno factus est omnium reus.

Joan. 7.

Deus vult ignoscere, vult & sanare, aut totum aut nihil: aut nihil, aut Caesar. Totum hominem sanum fecit in sabbatho. Cum Dominus noster sanaret daemniacum, surdum & mutum, tribus eum simul liberavit malis: pepulit diabolum, & hoc vnum: restituit auditum, secundum: & loquelam, & hoc tertium.

tertium. Insuper & iustificauit animam, & hoc quartum. Ex muliere obfessa septem dæmonia eiecit, non quinque aut sex tantum: ex alio legionem integram, ut nec vnum relinqueret: & putatur nunquam curasse corpus, nisi simul iustificaret animam. Vnde sæpe post redditam sanitatem dicebat, *Vade & non amplius peccare*; non ut monstraret solum peccata morborum esse causas, sed se animas simul iustificare, nec dimidium curare hominem: *Dei perfecta sunt opera. Legionem dæmonum* (inquit S. Augustinus) *ab alio eiciens, nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret: ostendens quod et si peccata sint mille, oportet de omnibus poenitere.*

D. Aug. lib. de vera & fals. poenit. tom. 4. c. 9.

Nihil vult seruari ex Amalech, sed omnia cædi, etiam bestias. Animæ regnum in pace stare non potest, si vnus ibi turbator sit. Sat vnus proditor toti exercitui: non satis mundata est domus, in qua sordes quasdam transit negligentia ancillæ. Remiges vno compediti pede, nonne æque prohibentur fugere, atque si singulis catenarentur membris? Sic quos Diabolus vnus peccati laqueo stringit, non minus in potestate habet, trahitque in baratrum, quam si mille peccatis essent constricti.

Naui quæ vnâ tantum notabilem habet rimam, perit tandem non minus quam per usâ vndique: etsi enim non tam cito pereat, perit tamen. Quid iuuat exteriores aperire fenestras, si interiores relinquuntur clausæ, arceantque solem? Noluit Deus vllum Iebuseum, Phereuseum, aliumue infidelem populo suo in promissa terra misceri. Noluit infantes excidio Amalechitarum eximi; patientiæ vnus mortale peccatum in confessione superare? *Quadam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam,* inquit S. Augustinus.

Apud Mag. lib. 4. sent. dist. 15. §. F.

Iritamentum Dauidis est, præscindere dimidias legatorum vestes, & barbas. Peccata confessa, vnus mortalis volûtaria suppressione quasi non con-

fecta habentur: quia Deus neminem seruat inuitum, *Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.* Nec potest de potentia ordinaria dimidiam dare veniam: implicar enim contradictionem, eandem simul in gratia esse, & non esse: tollunt hæc se mutuo, peccatorem esse & iustum, ciuem esse cæli & titionem inferni. Quod contingeret, si Deus iustificaret cõsistentem, & dam- naret peccatum prudenter celantem.

Item absolutio medicina est, libera & voluntaria, quæ non agit nisi in subiectum dispositum. Quid dicit esse tanquam non confessam? imo & peius. Absoluentes enim reuera non absolutum, in peiorem statum redigunt hominem quam fuit ante confessionem. Misert enim homo, qui cum decem peccatis ad Confessariũ accessit, redit cum vniũs atque alterius additamẽto, vt iam vñdecim habeat vel duodecim, hypocrisim sc. & sacrilegium, profanatis & indignè susceptis sacramentis. *Hypocrisim iungunt sacrilegio,* inquit Erasmus de talibus. Fortè illos notauit Dominus per istos ex quibus exiens spiritus malignus, nec alibi inueniens requiem, reuertitur ad domum, vt videtur, non reuera, ornatam, & adducit septem nequiores, & habitant ibi, *Et sic sunt nouissima hominis illius peiora prioribus:* id est, recedit à Cõfessario oneratio peccatis quam accesserat.

Erasmus in sua Exomol.

Luca II.

Doctor quidam Parisiensis scribere ausus est, accipiunt pro absolute excommunicationem, maledictionem pro benedictione, vt verum fiat illud Prophetæ, *maledicam benedictionibus vestris.* Mirum homines illos non tantum saltem timere Deum, Sacramenta, & Ministros eius ludificare & recipere maledictionem pro benedictione, quantum Iacob iuuenis adhuc, suadente Rebecca vt induens personam Esau, anticiparet benedictionem: *Mater,* inquit, *si intraverit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam pro benedictione maledictionem super me.* Non habentes matrem suam Ecclesiam pro se spondentem, sicut Iacob ac suscipientem in se istam maledictionem.

Genes. 27.

Ego quidem excommunicatos illos dicere non aulin, non inueniens hoc in vll'o Canone, cum nec ob baptisimi, nec ob communionis susceptionem indignam quis sit excommunicatus, etsi hoc faciant cum summo periculo corporis, & animæ: Adfero exemplum,

Matrona quædam maritata, commissum adulterium præ verecundia, vndecim annis in confessione subtricit. Accidit vt interea duo fratres prædicatores, quorum alter pœnitentiarius erat Papæ, illac transirent, ac subsisterent ad celebrandum sacrum. Mulier hoc intelligens statuit alteri istorum peccatum, quod aperire ausa non fuerat, confiteri: confessa etiam est absoluto sacro. Socius igitur Confessarij, secedens aliquantulum & constitutus in oratione, videbat ad singula mulieris puncta, magnum ipsi ex ore decidere bufonem, qui exibat de Ecclesia; & hoc ita continuari vsque ad vigesimum. Cōfessarius postquam ad virtutem & pietatem ipsam hortatus est, integrè confessam ratus absoluit. Socius autem omnes illas venenatas bestias, iterum vidit in os ipsius irrepere, & vnam nouam reliquis multo maiorem, retulitque socio suo quod viderat, extra Ecclesiam.

Qui statim coniecit, bufones peccata fuisse mortalia, exeuntia per confessionem, vnum vero pudore suppressum, indignam reddidisse absolutione, atque ita rediisse peccata priora, & insuper abusum Sacramenti. Boni Patres redeuntés vt ipsam conuerterent, inuenerūt mortuam & suffocaram. Triduo post miserissima fœmina ipsi draconi insidens apparuit, dixitque: Serui Dei, nolite timere, infœlix illa mulier sum, alteri vestrum nuper confessa, sed vnum subtrici pudore adulterium, quod nulli vnquam detegere volui: cumque esset in extimis labiis, iterum rubore subtrici, & nouum peccatum addidi, & propter hoc silentium pœnis infernalibus adiudicata sum. Alterum etiam, etsi terribilius; non minus tamen credibile, nisi bonorum scriptorum fidem velimus vocare in dubium.

*Guil. Pepin.
tract. 1. in
Confit. c. 13.
Spec. Exēpl.
dist. 9. c. 31.
ex Scala parad.*

*Ex litteris**Indicis anni*

1590.

Anno 1590. accidit patri Iacobo Saminiego præf. Sto missionis Itatenfis, res mira, & digna notatu: omnium vrbis incolarum confirmata testimoniis, vt nulla fit dubitandi ratio. Puella quædam annorum circiter sexdecim in Itatenfi ciuitate matronæ cuidam cohabitabat, bello capta nomine Catharina: libertas & morum dissolutio crescebat ei cum ætate, quamuis ab hera sua sæpius moneretur, ad tantam malitiam vt secretis permixta fornicationibus, non omitteret tamen frequentare confessionis Sacramētum, semper celans hoc peccatum, ne quod erat, meretrix haberetur. Puella igitur hæc primo Augusti in morbum incidens vocauit Sacerdotem, vt ei confiteretur; non tamen confessa est integrè, nec illa nec aliis nouem vicibus durate morbo. Recedentem in præsentia etiam aliarum ancillarum ridebat Sacerdotem post tergū his ac similibus verbis, nihil habeo quod agam, nisi vt peccata confitear: adiciens nescio quæ inhonesta: quibus offensæ eius sociæ & scandalizatae indicarunt heræ, quæ bono iurō dictam Catharinam increpuit; tandem minas in preces vertens, rogabat sibi indicaret quid id esset, quod indicare Confessario nollet. Ipsa impudens liberè confessa totam veritatem, dicebat: quories in morbo patrem vocauit ad aperendam conscientiam, vidi ad sinistram eius nigellum Æthiopem, suggerentē ne peccata ista, vapore leuia & nullius momēti indicarem Confessario, maxime cū Cōfessarius inde habere me posset pro inhonesta; ad dexterā Mariam Magdalēnā, vt totū liberè profiterer hortantē. Hera reuocauit Patrē, indicauit negotiū, qui frustra omnib⁹ modis eam laborauit ad confessionem inducere: imo quo instabat magis, resistebat obstinatio, ad eō vt nec benedictū nomen lesu proferre dignaretur. Alias etiā cum pater in crucis imaginē ipsi cōtemplandam exhiberet, mortē & passionē nostri Iesu Christi, cum multa cōtempnim dixit cholera: scio ista satis, quid vultis me facere? vt cōuertaris ad Deum, inquit hera, qui peccata tibi ignoscet si ea cū dolore cōfitearis. Quæso, inquit Catharina

finit

finite me: & quam primum hera inde abscessit, rediit
 iterum ad verba obscœna, atque ita dies aliquot con-
 tinuauit; donec iterum nocte quadam aduocata he-
 ra, & ancillis dixit, torquetor & arctor vehementer, ob
 confessiones falsatas, ac ita vsque ad medium noctis
 obrigit vt putaretur mortua, & cogirarent de sepul-
 tura: sed rediens ad se, reuocato Sacerdote, egit vt
 prius: tribus horis post, paulo antequam expiraret,
 cum ancillę monerent ipsam crucem arripere manu,
 & benedictas candelas, inuocare nomen Iesu, respon-
 dit: Quis iste Iesus: non noui ipsum. Et volutans se ad
 lectuli spondam, sicque assidens audiebatur cum
 quodam loqui, quem non viderent. Alia vero fa-
 mula, quę in eodem ægra decum bebat cubiculo,
 instantissime rogabat dominam in alium deportari
 locum, quod spectra quadam videret, nigrosque spi-
 ritus valde horribiles. Nocte ista qua infœlix efflauit
 animam, tota pœdoribus opplera est domus: adeo vt
 in liberum acie coacti sint exponere cadauer. Heræ
 frater brachiis è lecto detractus est: Alia famula inter
 scapulas quasi pede percussa, aliquot diebus ostendit
 insignia: equus quidam ingenio admodum tractabi-
 li & miti, eadem nocte quasi rabidus cœpit furere, ve-
 hementer calcitrās in parietes: idem fecerunt canes,
 currētes cum vlulatu & strepitu terribili per plateas.
 Corpore humato, famula quædā ingrediens in cubi-
 culum, sensit, neminem vidēs, in se conici ollam: alia
 ancilla à pluribus visa est rapi pede, inuiso trahente: 7.
 Octobris, cū ancilla quædā ex vestiū arca vestimenta
 acciperet, apparuit Catharina capiēs amphorā; cūque
 iugeret iniecta est amphora in parietē, tanto impetu,
 vt in mille particulas dissiliret. Postridie cum imago
 chartacea crucis illic esset affixa, magna vi in partes 3.
 ex pariete lacerata est. Eodē die cū hera in horto cœ-
 naret, dimidia tegula omnē cœnā euertit, ac eodē in-
 stāti quadrienis clamare cœpit filiulus, mater, mater,
 Catharina me suffocat: cumq; ex collo eius suspēsę es-
 sent Sanctōrū reliquæ, liberat⁹ est à periculo. Hęc cō-
 pulserūt dominā mutare ædes, & diuertere ad quandā
 suam

suam cognatam, relictis pro custodia ædium ancillis. Decimo die eiusdem mēsis vna ex ædium custodibus audiuit se ter à Catharina compellari; cumque in pedes se coniiceret, monuerunt aliæ vt inuocato Dei nomine, & accensa candela consecrata, audacter regrederetur: quod & fecit, duabus que animatores videbantur, sociata. Dixit ipsi defuncta, vt sola manens ablegaret alias, & deponeret candelam benedictam, qua torquebatur. Catharina toto corpore emissit flamas, cum incredibili fœtore: ardebāt caput & pedes, cincta quasi ignea zona, octo aut decem digitos lata promissaque in terram, quæ pœna videbatur esse incontinentiæ ipsius. Ancilla tam terribili spectaculo pallere cœpit, & tremere: dixit que defuncta; accede quoties te vocavi? Respondit ancilla: bone Iesu, qui non timeat te videns? Dum hæc diceret, vidit puerulum venientem in niueis, qui redanimabat ipsam, monens vt resumpto spiritu diligenter notaret, quæ ex Catharina audiret, ea que publicaret aliis. Tum Catharina sic exorsa est: scias me damnatam, & grauissimis affligi pœnis, quia coram sacerdote leuissimum tantum confessi sum, multiloquia, inclinationes ad choleram, & similia; tacebam verò fornicationes, & consueta cum quibusdam adolescentibus commercia. Vnde discite bene confiteri, nihil subterire, hoc monere iussa sum, & compulsa indicare. Dato rum ad Aue Maria signo, in angulum se recepit, & euasit. Et Angelus (putabat enim ancilla puerulum illum fuisse Angelum) vt conuocatis domesticis quæ acciderant enarraret, ei imperauit.

Videte quibus exemplis Diuina prouidentia nouos illos Peruanos populos instituat, sincere sacramento pœnitentiæ vt: in quo alioquin non parua difficultas.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Vt vero integram faciatis confessionem, media quædam vobis offero, quibus examina vestra iuuent, vt tectissima etiam deprehendatis peccata. Attendite.

DE POENITENTIA PRODIGI. 507

Primo libellum in manus sumite, ex illis qui agunt in confessione facienda, ut Hortulum animæ, Granensem, Brunum, Arriam, Augerum, & c. legite, relegite, notate singula in quibus deliquisse vos putatis, ut postea in confessione proponatis.

Secundo. Cogitate statum in quo sitis, aut fueritis; utrum virgo natura an voto, utrum vidua an coniugata.

Tertio. Ætatem præsentem ac præteritam.

Quarto. Aduersa & prospera quomodo tuleritis.

Quinto. Officium, opificium, exercitium.

Sexto. Societatem quam habueritis virorum aut feminarum, & c.

Septimo. Loca in quibus fueritis.

Hic fuit, hic iacuit, thalamo dormiuimus illo.

Et certè multum valet locorum recogitatio; cum illi qui memoriæ artem docent, primum loca fingant, in quibus rerum imagines & similitudines collocent, quarum volūt meminisse; nisi plane oblitus sim, quod olim me docuit magister Lambertus Schenckelius.

Octauo. Tempora; ut bella, pacem, solennitates, dies feriatos, examine singula, vbi forte Deum offenderitis, vel proximum corde, ore, opere. Qui hoc facit, nec tamē recordatur magis quam qui magnos haustus ex obliuioso Lethes flumine biberit, aut qui videns se in speculo, retrahēs inde oculum obliuiscitur qualis fuerit, ut inquit S. Iacobus, ille tum ad iuuantandam memoriā cui diffidit, in chartam sua coniciat: quæ notauit in prædictis libellis, quæ recogitauit quasi ex locis communibus, in quibus peccatorum summa reposita erat, recolligat in breuem scedā, reuiter notis arithmeticis si possit, vel hieroglyphicis, obscure, ne quis forte inspiciens intelligat cathagum, idque sub tertia persona, ipse hoc fecit, ille hoc dixit, tali tempore, ter, quater, & c. Propter pericula fortunarum, honoris, vitæ etiam, si peccatorum chirographa in manus maleuolorum incidere. Feci id ego aliquoties iuuenis & senex; vidi & sacerdotem qui ita mihi confitebatur; faciat qui volent,

let, bonum arbitror remedium memoria.

Denique ut melius compleatur confessio, & explicetur conscientia, bonum est si cribrari, ventilari, examinari, interrogari a prudente & experto te facias Confessario, qui ut sacer quidam Rhadamantus omnia profiteri compellat. Nam Rhadamantus, inquit quidam, *Castigatq; auditq; dolos subigitq; fati*

*Qua quis apud Superos furto latatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Sicut etiam Minos iuxta Virgilium.

*Quasitor Minos urnam mouet: ille silentum
Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina disit.*

Ut sic examine mini, ut Legati ab externis ad quos mittuntur Regibus.

Reges dicuntur multis urgere culullis.

Ino non tantum oportet esse paratum ad hoc tollerandum, & respondendam omnem veritatem, quam peccati detectio requirit: sed desiderandum etiam est, & rogandus ut faciat Confessarius, cum ipse prius feceris quod possis, ut iuuet, examinet, quantum iudicat expedire: & sic corde vndiq; aperto detectis peccatis, orate ut quantum possibile in confessione, illa penitus eradiceret. Facietis locum ornatiorem pretiosis meritis & passioni Domini nostri, vnde peccata exeunt, & replebimini benedictionibus. Gratia aura in anime vasculum intrat, vnde salsa effunduntur peccata, sicut aer in vasa vnde liquor extrahitur. Non vult ingredi in locum nisi prius planè dirutum, incedere vult per ruinas, & calcare colla inimicorum. *Iter facite qui ascendit super occasum, (& occisum.)*

I I.

*Quod male faciant qui in confessione, de omnibus
à Sacerdote interrogari volunt.*

Quamuis autem hæc meticulosis & scrupulosioribus suadeam; non possum tamen non vehementer redarguere pigros quosdam, & in salutis

suæ cura desidiosos, qui nihil aut parum præparati, quamprimum ad confessarij pedes assederint, statim cantillant, *Pater iuua me, interroga me, redige mihi in memoriam*: Hoc enim indicium est euidens, quod non vt boni Christiani, iuxta timoratorum hominum consilia, quotidie vesperi debite se recolligant.

*Non prius in dulcem declines lumina somnum,
Omnia quam longè reputaueris acta diei.*

Imo quod dignati non sint antequam se exhiberēt Sacerdoti vllam facere recapitulationem, aut saltem valde exiguam vitæ suæ, post extremam confessionem: si enim bene præmeditati essent, facile sine hæsitantia & titubatione proferrent. Nam bene præmeditatum ex parte dictum est.

Rem bene præuisam verba haud inuita sequentur.

Et quid hoc est, quam tacitè fateri exiguam contritionem, & peccati dolorem. Nam in materia quæ nos torquet, facile omnes nimis disertum sumus; si quid enim molesti accidit, si quid cor pungit, nimis statim parata est lingua, interpretis mentis, nimis exaggerat quicquid graue patitur.

Horat. in Arre.

*Format enim natura prius nos intus ad omnem,
Fortunarum habitum iuuat, aut impellit ad irâ:
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Post effert animi motus interprete lingua.*

Psal. 75.] *Cogitatio hominis confitetur tibi. Et reliquæ cogitationis diem festum agent tibi.*

Quid hoc est aliud quam petere impossibilia? quia enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?

Quid hoc est aliud, quam velle sacerdotes auditores & iudices facere diuinos, vt coniciant quid boni homines cogitarint, dixerint, vel fecerint: vt accusatores fiamus, imponentes iam hunc casum, iam alterum; vt patroni ipsorum fiamus, & quasi culpabiles ipsorum confiteamur nomine. Non sumus quod nos esse putatis, aut facere vultis, quando dicitis *iuua me, interroga me, &c. Dauid sum non Oedipus* (ad sphyn-

510 CONCIO VIGESIMA SECVNDA

Genes. 44.

4. Reg. 5.

3. Reg. 14.

Exech. 18.

Daniel 2.

Genes. 41.

Ioan. 4.

Genes. 44.

(Sphynxis ænigmata.) Non sum Propheta, nec filius Prophetae, ut cogitationes vestras videam, & quæ claustrum agitis. Non possumus dicere quod Iosephus fratribus, *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Helisæi non sumus, ut statim videre possimus an in absentia sitis Giezi, accipientes argentum & vestes à Naaman, pretium lepræ, recusatum ab Herod: cum insigni eius contumelia rursus negantes aliquid acceptum, in præiudicium Naaman, suppressa eius liberalitate. Non sumus de genere Abiæ Prophetæ in Sylo, ut cognoscamus statim uxorem Ieroboam, aliena latentem veste, ex consilio mariti, ut tanto liberius ignota cum Propheta ageret: quam, etsi patris senio nihil videret, agnouit statim in introitu, dicens: *Ingredere uxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas?* Non sumus Daniele, qui non tantum Nabuchodossoris, ut Iosephus Pharaonis, in Babylone interpretatus est somnia, sed cum ille etiam esset oblitus, acque à Magis ac Ariolis mortis minis interpositis exquiret, ei reduxit somnium & interpretationem in memoriam. Non sumus tanti quantus Christus, qui Samaritanæ, de qua nihil vnquam audierat, quinque enarrauit viros, eumque quem tum habebat virum eius non esse, vitæ insuper totius ordinem. Vnde ait: *mulier in ciuitatem, & dicit illis hominibus: venite, & credete hominem qui dixit mihi omnia quacunque feci, nescitis quid ipse est Christus?*

Non sumus tales Prophetae, non scimus quid absentibus nobis geratur: nec hoc à nobis Deus exigit. Mittimus quidem aut poni facimus aliquid in conscientia vestra, ut Ioseph scyphum in sacco iunioris, ut videamus quid in animæ fundo lateat. Officium nostrum est sedere, iudicare, cognoscere, punire secundum allegata: non examinare, extorquere per vim: ex gratia est, & charitate si id non vnquam facimus. Quid? Vultis nos grauari ultra quàm tenemur, exonerare vos iis ad quæ tenemini, vnum opprimere omnium clitellis? quomodo miser sacerdos solus ferret onus in vos omnes partitum? Vultis ut vobis dicamus

Daniel. 2.

mus, quæ solus nouit Deus? nam corda ille solus inspicit: Angeli nec boni nec mali ad secreta illa penetrant. *Sermo quem tu queris Rex, grauis est: nec reperietur quisquam qui indicet illum in cōspectu Regis: exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio*, dicebant Diuini Nabuchodonosori, cum peteret ut narrant somnium quod sibi exciderat. *Dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.* Eodem modo dicat peccator quid fecerit, quid cogitauerit, & nos de eo dabimus sententiã, absolutionem, & satisfaciendi modum. Hos terminos nostrum officium non egreditur. Officium ac ministerium nostrum est, audire loquētes, præesse libellis, supplices audire in Dei nomine, liberar confessiones criminum in maiestatem eius admissorum, inducere ad confessionem omnium: dein iudicare, absoluer, aut non absoluer, sicut ipse facturus esset Deus. Est igitur extra limites nos euocare, velle ut instituamus quæstiones, sumamus informationes. Ut ad arbitrium vestrum subueniamus vobis, rogare debēbitis Deum ut in vniuscuiusque pectore fenestellam faciat, qualem Momus in imagine hominis à Vulcano facta desiderabat: & sic commodè possemus malè seruatum domi ordinem, & abdita conscientia inspicere, & examinare. Aut si non magis videatis maculas in propria conscientia, quam in facie propria, orare debuissetis Deum, qui fecit ut alienos vultus magis videamus quam nostros, det etiã ut melius possimus cognoscere conscientias vestras quam vos ipsi: & tum facile dicemus quam fitis mali, sicut iam facile alter dicit alteri, an nasum simum habeat an aquilinum.

Sed agamus paulo grauius in re tam seria: cur non probem remittere se planè in Confessarij interrogationes: tres maxime sunt cause: nimirum dispendiũ temporis & damnum publicum, & hæc vna. Dein etiam periculum & honor Confessarij, & hoc secundũ. Periculum denique innocentia eorum qui interrogantur, & hoc tertium.

Dicamus singulatim de omnibus. Primum igitur

K k propter

1.

propter dispendium temporis & damnum publicum: nam dum vnum interrogo, duos aut tres audire expectantes, & suspirantes, sine fructu multo tempore. Interrogare enim possem tam de mille rebus quas non feceris, quam de iis quas feceris: dum videris mihi considerato statu, ætate, loco, personis cū quibus agis, ea quæ interrogo facere potuisse. Variandę enim sunt quæstiones pro varietate personarum. Rogaresne ex puella quindecim annorum, an forte latrocinia exercuerit? ex viro centum annorum an forte virginem corruperit?

Horat. in Arte.

Intererit multum Dauusne loquatur, Evadne.

Maturusne senex, an adhuc florente iuventa

Feruidus; an matrona potens, an sedula matrix,

Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:

Colchus an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.

Si vero paratus accesseris, dices tantum quid feceris, & sic exiguo fiet tempore. Insuper quando interrogo, aliquantillum saltem mihi cogitandum est quid prudenter interrogem, quid non? Tibi contra ad singulas quæstiones, vt vere sincereque respondeas, hærendum non nihil: & sic tempus labitur, quod lucraremur si ante confessionem fuisses præmeditatus. Interim etiam dum de quæstionibus cogito, confliis & admonitiones cogitare non possum, quas tanta durante recitatione tua, possum colligere, si nimirum bene paratus, vno filo tua deducas; ac proinde vel sine consilio dimittendus es, aut hoc iterum cum temporis dispendio requirendum est. Videte igitur quantum temporis pereat interrogationibus. Insuper contingere potest vt per te plures bene parati prohibeantur confiteri, dum tempus quod duobus aut tribus sufficiat, vni impenditur. Satagite igitur boni publici.

Publica priuatis preponit & commoda rebus.

Secundo, honor confessarij, (per fidem vestram) non videtur vobis hac ratione adduci in periculum. Audite si placet. Interrogat forte intelligens te in

DE POENITENTIA PRODIGI. 513

mattimonio esse, aliquid quæ improbi quidam qui in matrimoniis omnia putant licita, nonnunquam admittunt: quæ tu forte nunquam cogitaueris. Interrogabit forte aliam non satis pudicam, an terminos naturæ non sit egressa, an nihil in actibus suis habuerit Græcum, Sapphicum, & mille alia quæ honestè nominari non possunt: quæ voluptuariæ quædam & magis effrontes, nimis morigeræ, nimis faciles admittunt. Aliæ forte, quæ non ita omnem abiecerint pudorem, & aliquid diuini timoris seruant, cauent. Et sic in omni statu. Et sit Pater Confessarius, qui illa rogabit, iunior, sit religiosus, homo nunquam coniugatus: quid dicetis? quid cogitabitis de eo? vnde videbitur vobis matrimonij ac naturæ mysteria didicisse? in qua schola putabitis studuisse, qui tam rectè loquatur de auctorum negotiis? Non cogitabitis ista ex Casistis hausta, non ex Poetarum scriptis, quæ necessitate aliquando legant; aut ex confessionibus meretricum aliarum, quæ magis prostituta sint quàm Laïs Corynthia, ingenio-
In vitis Pa-
trium.
 fiores ad mala quàm Sappho Lesbia, inuentrices voluptatum magis quam Venus Cypria, lasciuiores Pelagia Antiochena, ipsis canibus caniniores, quas fortasse aliquando confitentes audiuerit: sed arbitrabimini magis eiusdem malitiæ fuisse socium, & cooperatorem: scientiam didicisse per experientiam, nec rem magis quam nomen ignorare. Impossibile dicetis aut intra vos, aut etiam apud alios, vt homo ista sic examinet nisi aliquando eisdem contaminatus, & sic ad omnem occursum, ad omnem visum, male de ipso cogitabitis, male loquemini, qui florem virginitatis & primam innocentiam nunquam perdidit, qui nesciat vt ita dicam quid inter scæminam & cothurnum sit discriminis; quid inter virum & puellam; nisi vestem. *Quomodo fiet istud quia virum (et viram) non cognosco.*

Novi quendam celebris ciuitatis Curatum, qui cū ex puella quadam interrogasset de peccati carnalis quibusdam particulatitatibus, quod ipsa vel confiteri

cœperat, vel cogitabat ipsam facere potuisse, ausa fuit ipsi dicere; Pastor, vis videre: & tam inopinato, & ridiculo responso, tantum excitauit Pastori risum, vt ad eum dissimulandum petita venia nonnihil adflictiorem recederet, quasi aliquid acturus: donec superato risu ex tam stulto responso, reuertetur ad audiendum vltius bonam illam pœnitentem: cumq; repeteret quæstionem, iterum satis impudenter replicauit, Pastor iterum illuc relaberis: putans bonam mulier se ita interrogari, vt ad talem discursum indueretur.

Horat in Arte.

Si dicentis erunt for: unis absona dicta:

Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.

Nonne hæc mihi ac cuilibet accidere possent, si de bona gratia aliquid sicut ipse interrogem? nonne cogitare potestis perditis nos oblectari sermonibus, & quæ inuis opera caueamus, libenter tamen de eis loqui?

Quid? videri possemus etiam illa quærere; videri otiore facti deducamus eadem in opus. *Pro medijs sunt aut socij, aut magistri, aut discipuli turpitudinis,* dicere audebat Erasmus, aut aliquis sub Erasmi nomine. *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulterum portionem tuam ponebas.* Audiui aliquando tales homines qui talia somniarent. Ne igitur honorem & estimationem nostram tanto opere periclitemur, proculdubio satius erit vt quisque sua edicat peccata, & non semper, *Pater adiuua me, Pater iuuua me.* Vt nihil dicam si Confessarius diutius exquirat, & inuestiget (quærit enim omnia aliquando, vt ea cognoscatur, & aperiat) maxime audiens Magdalenas, mulierculas malæ famæ, putari posset illicitis cum illa detineri sermonibus: dicite igitur potius ipsi, & nostro parcite honori.

Eras. in Exomol. 4. quod fingit incommodo.

XII.

Periculum autem innocentium quorundam pœnitentium, quis non videat? Interrogans enim omnia quæ putem in talem statum, fortunam, ætatem, officium, societatem cadere posse; proponere possem casum,

um, quem pœnitens melior opinione, nec cogitauerit vnquam, nec audierit nominari: audita vero tali confessione, doctior iam non tantum nomen, sed & eam per experientiam discere voler, maxime iuniores: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Quod cauebitur si quilibet quæ nouit, quæ fecit, mala dicat. Et ecce cur scriptura turpitudines quasdam nō nominandas, turpitudines simpliciter vocat: *turpe est & dicere*, inquit S Paulus: & Theologi peccatū quoddam vocant mutum, ne audito eius nomine inuitetur. *Immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ephes. 5. Et bona quædam animula, rogata à puella quid hoc esset peccatum luxuriæ, dicebat comedere scriblitas sine buryro: sic & sapientes magistratus nō semper publicè crimina pronuntiant, cur quis damnetur: quia non omnibus expedit nosse ipsorum scelera. Et verè magna innocentia pars est, ignorare peccata, & nomine & re, nec suspicari quidem tale quid in rerum natura esse sceleris. Per nimiam prohdolor scientiam in maxima mala cadimus. Diabolus vult vt discamus multa, vt offendamus multum: ideo dixit Euæ, *eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Postquam autem nimis credula, infœlicem fructum scientiæ conditum gustauit, vidit nuditatem suam, sentire cœpit S. Pauli stimulos, & fomitem omnibus communem: post scientiam boni & mali abundauit malum, & facta est via peccatis omnibus. Essemus prohdolor modo in prima innocentia, si coniugassemus vno quasi matrimonio *scientiam boni, scientiam mali*; sciuissemus boni satis: hoc debuisset sufficere. *ignoti* frigida concupiscentia, vel potius *cupido nulla.* Ecce etiam cur libri nimium lasciui, aut reuera, aut secundum apparentiam, aut omnino prohibiti sint, aut ad certam vsque ætatem: cur etiam inhonestæ picturæ quæ exhibent omnium oculis quæ geruntur post cortinas, aut illas vtriusque sexus partes, (quas magna mater natura semper voluit esse rectas, foliis, vestibus, prona fluitatione cadauerum scemineorum) ne iuniores inde primum theorice, postea pra-

1. Cor. 15.

Genes. 3.

eticè mala discant Ad hanc rem, de obliquis interrogacionibus, memini me circa annum nonum ætatis, a bono Confessario, cui me pater piæ memoriz ob prudentiam commendarat, cum confessus essem certum quoddam peccatum quod ipsi vltiorem ingerbat cogitationem, rogatus sum an forte non fecissem peccatum aliquod certum, illi affine. Gratia Deo quod non commissem, nec cogitassem: quæstio tamen ipsius, etsi sapienter propozita, primam mihi dedit illius peccati intelligentiam, quod forte nunquam cogitaueram nisi multo post esse perpetrabile. Ut igitur caueatur omne periculum, oblique docendi quod ignoratur, ac ita dandi occasionem experientia optime facietis, si antequam ad confessionem accedatis, ipsi vestra peccata bene recolligeretis, ut tum nihil restet, quam instruere, monere, absolueretis & imponere pœnitentiam. Meo iudicio quidam nostri

Rob. Eiciens.

Epis. Aquin.

Pet. Borgius

in disp. Theol.

de minist.

Confess. edita

Luxemb.

1599.

** forte melius legeris,*

remittat.

ordinis Episcopus, suo tempore concionator mirabilis, non male suadet, ut Confessarij, si in tales pœnitentes incidant, moneant illos ut seorsim paulisper secedant, ibi se præparent, ac tum reuertantur sic etiam quidam Petrus Borgius, in thesi sexta de ministro confessionis: *Si non satis dispositos aduertere. Præter tunc liget, id est, non absoluendo ligatos permittat.* Hoc enim præterquam quod honorem nostrum præstare tutiorem, causa esset ut contritio & erubescètia quorundam obstinatorum cresceret maior, si ipsi pronuntiant peccata sua, & non tantum audientes a sacerdote pronuntiarum annuant modico verbo, ita pater: & hæc ipsis pene paruum esset purgatorium, & firimum retinaculum cõtra nimiam lapsus facilitatem. Nam ut inquit D. Greg. li. 22. moral. *Plerumq; grauioris certaminis est, commissæ peccata prodece, quam non admitti vitare.*

Dicerent sepe cum Demosthene: *Tanti pœnitere, recognoscere peccata, tam sigillatim narrare, &c. non erit.*

Facilius cauebo quam sic confitear: ex talium molestia, cauebunt forte peccata, qui ex charitate, Deique amore non committunt. Nihilq; facit cõtra

nos quod Grammatici dicant *confiteri* esse quasi per
 violentiam: *profiteri*, per libertatem & propria sponte:
confiteri iuxta Varronem sit concedere quod quaeritur,
 & iuxta Iuristas, etiam per quaestiones & tormenta.
 Atque ita videri possent satisfacere confessioni sacramentali,
 qui nihil dicunt motu proprio, & sponte, nisi interrogati a sacerdote; melius quam alij,
 qui sine interrogationibus peccata liberè enuntiant.
 Respondeo enim ex confessionis definitione, *qua est voluntaria sui accusatio*.
Grammatica leges plerumque Ecclesia spernit, dicit ipse meus Despauterius,
 Grammaticorum nostri temporis Princeps

L. Servos.
 C. ad Leg.
 Jul. de vi.

Ioh. Desp. in
 Syntaxi.

Tu viuendo bonos, scribendo sequare peritos.

Si vero ita pressim Grammaticalibus subdere me velim legibus, non ideo cadam causa. Cicero enim atque alij boni authores, *confiteri* pro libera accusatione accipiunt.

Cic. lib. 3. de nat. Deor.] *Quod facimus occultius? (intendio tabularij sc.) At se Q. Sotius splendidus eques Romanus ex agro Piceno fecisse confessus est.*

Idem ibidem.] *Peccatum suum quod celari posset, confiteri maluit.*

Idem Orat. pro Q. Ligar.] *Prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarij ullam culpam reprehendatis.*

Plaut. in Trinum. Act. 4.] *Hæc sunt: seu recte, seu peruerse facta sunt egomet fecisse confiteor.*

Idem in Cistel.] *Tibi nos prodimus ac confitemur cistellam habere.*

Habemus igitur verbi significarum, pro re autem faciamus vtrumque, ad securitatem. Profiteamur & confiteamur. Peccator profiteatur primo libens peccata quæ reminisci potest. *Dic prior peccata tua ut iustificeris*: ac reliqua dein confiteatur, id est, non neget interrogatus a Confessario (ex gratia vel officio, si hoc muneris eius est) in confessione, si ea admiserit: dicat cum Cicerone, de quolibet peccato, quod rursus redigitur in memoriam, *hoc ego non*

*Cic. pro Ma-
nil.*

*solum confiteor, verum etiam profiteor, dico meam cul-
pam: vt de ipso dici possit, quod in alia re de S. Iohan-
ne Baptista, & confessus est, & non negauit: & quod S.
Augustinus de Maria Magdalena, postquam ad Chri-
sti pedes in conuiuio humillime veniam implorat,*

*D. Aug. lib.
50. homel.
hom. 23.*

*accessit confessa vt rediret professa, Christiana & discipu-
la Christi. Subleuate nos igitur ex parte vestra, vt pri-
mum recolligatis peccata, quantum possibile, &
tum subleuabimus vos, quantum debemus, inter-
rogabimus reliqua; sic alter alterius onera por-
tantes, implebimus legem Christi, sic per-
ueniemus pariter quo tendimus
ad vitam æternam.*

Amen.